Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

361

uiuit. E contrario illa dicebat: Mentiris. Filius quippe meus uiuit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege.

Altera mulier respondit, dum synagoga clippeum cerimoniarum legalium euangelice ueritatis predicationi obtendit. Non est inquit ita ut tu astruis, que superstitionibus tuis antiqua patriarcharum et prophetarum decreta destruis. Filius quippe tuus mortuus est, qui nichil habet in re, sed falso nititur in spe. Filius meus uiuit, qui se inani spe non seducit, sed in re mundi et carnis uoluptate hilarescit. Hoc est enim uera uita perfrui, rosis coronari, et flore temporis non priuari. E contrario illa dicebat, quia sancta ecclesia ab initio seculi mundi et carnis uoluptati contradicebat: Mentiris, quia ueritatem legis non exequeris. Qui enim sciente mentitur, aliud ore loquitur, aliud corde meditatur. Unde psalmista dicit: Labia dolosa in corde et corde locuti sunt. Sic synagoga in omnibus cerimoniis legalibus mentiebatur, que sola legis litteram sequebatur, et latentem in littera allegoriam non contuebatur. Filius quippe meus credentium populus uiuit per spiritum uiuificantem, et filius tuus carnalis ille populus mortuus est per litteram occidentem. In hunc modum coram rege contendebant, quia sic ab antiquo ecclesia et synagoga, ista allegoriam requirendo, illa sola legis litteram consequendo confligebant. SEQUITUR.

Tunc rex ait: Hec dicit: Filius meus uiuit, et filius tuus mortuus est. Et ista respondet: Non, sed filius tuus mortuus est, et filius meus uiuit. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege, ait: Diuidite infantem uiuum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier cuius filius erat uiuus ad regem, commota sunt quippe uiscera eius super filio suo: Obsecro mi domine, date illi infantem uiuum, et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur. Respondit rex et ait: Date huic infantem uiuum, et non occidatur. Hec est enim mater eius. Audiuit itaque omnis Israel iudicium quod iudicasset rex, et timuerunt regem, uidentes sapientiam dei esse in eo ad faciendum iudicium.

Rex ait, cum in patriarchis ecclesie et synagoge conflictum uariis figuris ostendit. Hec inquit dicit: Filius meus uiuit, et filius tuus mortuus est, quia ecclesia in nouo testamento profitetur se spiritui seruire, et synagogam in littera perire. Ista respondet: Non, sed filius tuus mortuus est, et filius meus uiuit, quia synagoga in ueteri testamento testatur ecclesie populum falsa spe esse seductum, et suum carnalem populum per litteram legis uere uite armis instructum. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Dicit filius dei prophetis sanctis, mysterii sui conscius: Afferte mihi gladium, scilicet per commissum uobis predicationis ministerium mee incarnationis mundo denuntiate mysterium. Gladius coram rege apportatur, cum mysterium incarnationis ministerio prophetarum denuntiatur. De quo gladio psalmista loquitur: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Rex ait, cum filius dei formam carnis induit: Infantem uiuum in duas partes diuidite, scilicet populum fidelem in uetus et nouum testamentum, uel in circumcisionem et baptismum, uel in actiuam et contemplatiuam uitam distribuite. Dimidiam partem uni date, circumcisionem et ueteris testamenti obseruantiam, dimidiam partem alteri